

DISSERTATIO CCL.

*De Beata Virgine, Dei Matre. An ejus Conceptio
immunis fuerit ab omni Originalis Culpa
contagione? An habuerit debitum contra-
hendi originale peccatum? Et quid
Ecclesia in ordine ad eandem Con-
ceptionem observandum, vel
in scribendo, vel in lo-
quendo præscribat?*

DE Deo-Homine Christo per-
tractantes, non extra ordinem
est, ut de Beataissima ejus Ge-
nitrice Maria sermonem par-
ter instituamus; tum quia Filii,
& matris gloria non tam communis, quam
eadem est; ut docuit Cardinalis Petrus
Damiani orat. 2., tum quoque, quia
quæcumque de matre dicimus, ad filium,
vel tanquam ad Auctorem, vel ut ad prin-
cipium, vel ut ad objectum, omnino re-
fescuntur. Igitur congruum ducimus Dis-
sertationibus aliquot de Deipara disputa-
re, & postmodum in Dissertationibus
subsequentibus iterum de Christo dis-
serere. Conceptio quidem B. Virginis pri-
ma est, quæ Nobis se obicit pertractan-
da; & tanquam illa, quæ in primo
ejusdem existentia instanti cæteras ejus
glorias præcessit; & ut ea, quæ modo ar-
dentiori cultu in Ecclesia celebratur. Un-
de hanc peculiarē instituimus Disserta-
tionem, in qua, de illius a cuiuscunque
labis contagione immunitate, & de debitu
quod in Maria, aut fuit, aut non fuit,
culpam illam contrahendi, & de sensu
Ecclesie, circa candem, lato calamo per-
tractabimus.

Præsciendum igitur est primo, Conceptio-
nem Virginis Mariæ, aliam esse activam,
aliam esse passivam. Per activam intel-
ligitur efformatio Corporis per opus con-
jugale exhibitum a Sanctissimis ejus Pa-
rentibus Joachimo, & Anna, per quam
corpus aptum, ac dispositum ad recipien-
dum animam, diceretur. Per Conceptio-
nem passivam intelligitur infusio animæ,
& unio cum corpore sic organizata quæ
quidem conceptio passiva fit illo ipso in-
stanti, quo anima rationalis unitur cor-

pori, membris omnibus, ac suis organis
disposito, & apto. Status controversiae
non est de prima Conceptione, quæ dici-
tur etiam conceptionis seminalis, quæ præ-
cedit animæ infusionem; quia omnes con-
cedunt eam non posse dici sanctam, quam
Sanctitas non sit in massa corpora, sed
in anima. Et in hoc sensu loquitur S. Thom-
as 3. par. qu. 27. art. 2., in quo scri-
bit: *Quidam celebrant festum Conceptionis;*
ergo videtur, quod in ipsa sua Conceptione
fuerit Sancta, atque ita quod ante animatio-
nem fuerit sanctificata. Loquitur etiam
S. Bonaventura 3. d. 3. p. 1. q. 1. Si ergo
Sanctitas non fuit in Virgine ante animæ in-
fusionem, non videtur undeque secundum
Conceptionis illius, utique seminalis, etiam
solemnitatem celebrare. Igitur controver-
sia est tantum de conceptione spirituali,
seu passiva, in qua queritur, an eo instanti
primo, quo anima B. Virginis unita
fuit corpori, fuerit omnino immunis ab
illa hereditaria macula, quam omnes ho-
mines contrahunt, qui concipiuntur, &
nascuntur opere maritali, propter vitia-
tam propaginem, & originem labefacta-
ram?

Præsciendum est secundo, nullam de hac
controversia memoriam extitisse usque
ad seculum Ecclesiæ duodecimum. Omnes
enim, qui præcesserant, sive Patres, sive
Ecclesiæ Scriptores, nihil de Conceptio-
ne hac expressæ, & definitive scriperunt;
Unde ipsorum testimonia pro parte ne-
gante afferri jure non possunt, quia de
ipsa peculiariter non loquuntur, nec pro
parte affirmante adduci valent, quia nihil
etiam peculiariter pro ea affirmant. Om-
nes ergo generatim scribunt, ex quorū
deinde generalibus implicitis, ac tacitis
locu-